

meritorium attribuitur gratia & libero arb. Quò A
 etiam pertinet illud Ambrosij lib. 2. de voca-
 tione Gent. cap. 9. *Sive initiu, sive profectus fide-
 delium, sive usque in finem perseverantium cognemus
 genus, nulla species cuiusque virtutis occurrit que vel
 sine dono divinae gratiae, vel sine consensu nostra
 voluntatis habeatur.* Eadem reperies apud S. Profpe-
 rum verum itius libri auctorem cap. 26. &
 apud Costerum in lib. controversiarum cap. 5.
 de libero arb. ubi expressis verbis asserit liberum
 arbitrium Deo moventi & praevenienti coopera-
 rari, nec se preparare ad justificationem solum
 patiundo, sed etiam operando & agendo. Nec obstat
 quod Aug. dicat Deum ut velimus in nobis sine
 nobis operari; quodque B. Thom. 1.2. q. 111. B
 art. 2. doceat in primo actu voluntatis qui procedit
 gratia praeveniente voluntatem esse motam &
 non moventem. Nam eiusmodi locutiones non
 aliud significant quam quod Deus primum actum
 seu motum bonae voluntatis per suam gratiam ope-
 ratur sine nobis. i. sine praevio in nobis alio motu
 voluntatis quo ad illum motum conemur aut aspi-
 remus, aut quo voluntas cum sibi imperet; quippe
 cum interdum homini etiam valde repugnantem
 inspirat bonae voluntatis affectus, ut in Paulo
 contigit; ergo apud Aug. illud (sine nobis) non
 est idem quod nobis nihil agentibus, sed idem est
 quod, nobis non praevidentibus; Quod autem B.
 Thom. dixit in primo effectu gratiae mentem C
 nostram esse motam à Deo & non moventem, sic
 intellige, mentem nostram ad illum effectum non se
 movere alio quopiam priore motu quasi imperante
 hunc motum, ut significaverit actum illum
 interiorum non esse à voluntate movente ut im-
 perante, licet ab eâ sit ut principio activo. Qui
 sensus ex eo colligitur, quod postea dicit exte-
 riorum actum à voluntate imperari: quin & ipsa
 phrasis quâ voluntas dicitur se movere ad aliquem
 actum, satis postulare videtur ut in eâ sit motus ali-
 quis ad huiusmodi actum: & consentiant ea quae
 adfert lib. 2. sent. d. 26. art. 5. ad 3. alibi recitata:
 & q. unica de virtutibus in communi art. 1. ad 1.
 & art. 2. ad 20. ubi expressè docet Deum operari D
 in nobis non sine nobis agentibus & consentientibus.
 Denique hoc ipsum approbat Card. Bellar-
 minus lib. 6. de gratia & libero arb. cap. 6. ubi di-
 fertè docet per gratiam praevenientem ita volunta-
 tem hominis preparari ut & Deus & voluntas ali-
 quis agant. Et quia sunt quaedam loca Chryf. qui-
 bus ait Deum non praevenire nostras voluntates, ut
 hom. 12. in epistolam ad Hebraeos, idem Bellar-
 minus ea sic exponit, ut Chrysostronus dixisse intelli-
 gatur quod Deus non praevenit per modum neces-
 sitatis inferentis. Quae expositio libentius admit-
 tenda est, quam dicatur cum Molina disput. 4. 1. quod
 Chryf. errare poterit nesciens distinguere inter
 gratiam praevenientem, &c. aut quod manifestum E
 sit ibi errorem contineri, aut quod gratiam prae-
 venientem tollat, dicatque initiu salutis esse à nobis.
 Haec enim & falsa sunt & tanto doctore indigna,
 praeterquam quod viam parant haereticis ut SS. Pa-
 trum auctoritates contempnant, dicantque quod
 errare poterint. Falsa autem esse manifestu erit si
 aia ejusdem Chryf. loca conferantur. Nam homi-
 lia 13. in Joannem docet quod gratia Dei semper in
 beneficiis priores sibi partes vendicat: homilia autem
 76. *Non vos me elegistis, inquit, sed ego eligi vos: hoc
 est in amore praecurri.* Quando autem Chrysostronus
 sive hic sive homil. 11. requirit voluntatem no-

stram ut bene agamus; non negat gratiam prae-
 venientem, sed solum ostendere intendit quod li-
 berum nobis maneat arbitrium, quodque Deus nõ
 ita bona nostra operetur ut voluntas nostra nihil
 agat, ut patet ex dictis, & ex ijs quae habet ad cap-
 put. 2. Epistolae ad Philipp. explicans illa verba,
 Deus operatur in nobis velle, &c. Si (inquit ex
 aliorum personâ sibi objicentibus) voluntatem in nobis
 ipse operatur, quomodo nos adhortaris? Etenim si ut
 velimus ipse facit, frustra nobis dicit, obedite: non enim
 obedimus, Frustra dicitis in timore ac tremore: nam
 totum Deus est. (Nota simile fieri argumentum con-
 tra praemotionem Dei, idèdoque & contra gra-
 tiam praevenientem, sed pro hoc loco respon-
 deat Chrysof.) non ad hoc dixi Deum esse operan-
 tem in vobis (idèdoque influentem in causam eam-
 que moventem) & ut velitis & ut operemini (ut
 scilicet otiosi esse velitis) sed ut sollicitudinem ves-
 tram relevarem. Si volueritis tunc operabitur vol-
 untatem: & promptitudinem ipse nobis dat & ope-
 randi efficaciam. Quando enim (per ejus gratiam)
 voluerimus, voluntatem postea adauget: ut ipse volo
 boni quidpiam operari, bonum istud ipse operatur, &
 per ipsam etiam voluntatem, &c. Et postea: Ostendit
 hic & securos nos esse facti, Deum omnia operari.
 Vult enim nos juxta voluntatem suam vivere. Si ve-
 ro vult, agat ergo nos ad hoc, imò ipse istud omnino
 operabitur. Vides quomodo S. Doctor non dicit
 initium salutis esse à nobis, sed totum Deo tri-
 buit, nec negat gratiam praevenientem, sed asserit?
 videatur etiam homilia 12. in 1. epistolam ad
 Cor. Quae autem homilia 12. in epistolam ad
 Heb. dicta, videntur his esse contraria, modeste
 per collationem aliorum locorum sunt exponen-
 da, non erroris damnanda; & quod dicit, oportet
 nos eligere primum quae bona sunt, & tunc ipse
 quae sua sunt introducit, intelligi potest, vel quod
 nos ejus gratia praevenit eligere debeamus bona
 agere antequam ipse dona sua habitualia seu per-
 manentia & ulteriora introducat; vel quod
 nos eligamus, quia licet Deus in homine &
 per hominem operetur electionem, solus tamen
 homo est qui eligit sicut solum animal currit
 etiam si Deus cursum efficiat: Dum autem ita ele-
 gimus, tunc multam adfert auxilium etiam & dona
 sua introducit, quia ut ipse alibi dicit voluntatem
 adauget, & ut Augustinus docet, ille qui praevenit
 ut velimus, subsequitur ne frustra velimus: & juxta
 B. Jacobum: *Appropinquantibus sibi appropinquant,*
 scilicet per ampliorē gratiam.

ARTICULUS XIX.

Ratio 17. Quando causae operantur hoc
 ipsum accipiunt à Deo: ergo Deus prius
 naturâ facit illam operationem. Prius enim est dare
 quam accipere, praesertim quando sic datur, ut da-
 tio sit causa acceptionis. Antecedens est Alberti
 magni qui lib. 1. sent. d. 45. art. 8. sic dicit. *Si quid
 operantur alia causa, accipiunt à voluntate Dei ope-
 rante, & continente, & movente cas.* Confirmatur
 ex Parisiensibus doctoribus qui anno 1270. tan-
 quam erroneum condemnaverunt hunc articu-
 lum. *In causis efficientibus causa secunda habet actio-
 nem quam non accepit a prima causa.* Patentur ergo
 Albertus & Parisi. Deum ita per causas secun-
 das operari ut non solum eas conservet seu conti-
 neat, sed etiam ut illas moveat, illisque det
 actionem quam operantur, idèdoque in ipsas in-
 fluit & non in solum effectum. Dum vero illo co-
 dem anno condemnaverunt etiâ hunc articulum:

Causa
 2. acci-
 pit a-
 ctionem
 a Deo.

S. Chry-
 sost. ex-
 phatur.
 Quid
 Chryf.
 senserit
 de initiu
 salutis.